DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Martis tertiâ menſis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXXVII.

M. STEPHANO GROSSIN DUHAUME, Pathologiæ Profeſſore, Doctore Medico, Præſide.

An lactatio materna, quandoque impoſſibilis, aut noxia?

I.

NATURA, eximiis formæ dotibus cumulando mulierem, ſimul & ipſi, egregium fœtûs in utero fovendi proprioque ſanguine nutriendi munus impoſuit. Vix conſciæ ſibi puellæ, en nova orditur vita; vividiori luce micant oculi, novi naſcuntur in mente ſenſus, novi oriuntur in corpore motus, roſeo colore ſeſe induunt genæ, ſororiantur mammæ, & reliqua ſeſe produnt maternæ fœcunditatis ſigna, ſacro myſterio contegenda. Nec mora, nec requies, fertur in amplexus mutuos, & jam in utero novum ens exiſtit, creſcit, illius fit domus anguſtior, ampliori domicilio, alteroque vivendi more indiget. Novem verò elapſis menſibus functus ſuo munere, fœtum expellere conatur uterus, ſuperatiſque repetito niſu anguſtiis, novus in lucem homo erumpit. At nondum ſibimetipſi ſufficere capax, citò periturus infans, niſi illius curam denuò ſuſciperet ſollicita mater. Tunc rerum alter ordo naſcitur: uberrimum provida tenello infanti vitæ fontem parat natura, omnis in liquorem nutritivum (lacteum dictum) quaſi reſolvitur ſanguis, replentur mammæ, turgeſcunt, dolent, lac effugium quærit, pabulum ipſi à naturâ deſtinatum crebris vagitibus expoſtulat infans, porrectum avido ore arripit ſinum, teneris premit labiis, & repetitâ ſuctione vitalis indeſinente ſilo fluit liquor. O teneræ matris perdulce munus recèns nato mammas porrigere! quem ipſiſſima per novem menſes fovêre viſcera. O ter, quaterque felicem! quam nec valetudo infirma, nec morum depravatio à tali munere deterruit. Quantâ enim voluptate perfunditur, caræ ſoboli porrigens ubera mater! illius amplificatur & quaſi duplicatur vita; jam diem à die non ſeparat ſomnus; irrequieta illum à palpebris arcet ſollicitudo; mille oſcula, mille amplexus ſuo dat alumno, materno premit & fovet ſinu. Intereà creſcit puer, tenellorum robur membrorum augetur, per-

ficiuntur ſenſus, objecta diſtinguit oculus, ſonos aures percipiunt, genitricis vultum vocemque agnoſcit alumnus.

Ediſcitque puer riſu cognoſcere matrem.

Quid jucundius matri, quàm arcere mala & ſublevare dolores, quibus teneræ prolis jam fragilis undequaque circumdatur exiſtentia. Quid optabilius! quàm primum alumni riſum deprehendere. Quanto perfundi gaudio debeat! cùm optato matris nomine primùm ſe audit vocari. Procul à te, procul tot deliciæ, tot voluptates, inhumana parens, quæ proprio infanti vitæ fontes recludere dedignaris: altera tui pars alienis committitur manibus, in quibus amorem factitium, emptamque ſollicitudinem experietur, loco illius tam officioſæ, tam activæ ſollicitudinis, quàm in genitricis gremio reperiiſſet.

Omnes tamen non exiſtimandum puerperas indiſcriminatim, ſuo lacte alere poſſe aut debere progeniem. Si quidem quàm plurimæ (atque imprimis in magnis civitatibus) reperiuntur fœminæ, quas, aut res anguſta domi, & domus anguſtior, aut debilis & infirma valetudo, aut etiam morbus acquiſitus congenitus-ve impediunt, quo minùs, illo munere, ut ut ſummè concupiſcendo, fungi queant. Indè fit ut materna lactatio, ut ut naturæ voto congrua, quandoque tamen, impoſſibilis aut noxia evadat; quod nobis probandum incumbit.

I I.

PROPRIO lacte ad alendam prolem à naturâ comparata mulier, duobus in pectore poſitis decoratur mammis, non ſolùm ad formæ elegentiam, ſed & ad uſus maximos in infantis gratiam deſtinatis. In utero ſuccis ſeparatis à ſanguine nutritur fœtus. Hoc ipſo tempore mammæ, ad nutritionem infantis in lucem editi dicatæ, jam turgent & aliquandò lac ſtillant. At biduo vel triduo à partu inſignitèr ſuo munere defuncturæ intumeſcunt; in lac tota videtur ſeſe reſolvere œconomia animalis. Puerperæ autem quibus ſanitas firma fortem arguit conſtitutionem; quibus omnes rectè & perfectè functiones peraguntur, quibus humores puri, corporis conformatio nullâ ægritudine debilitata, animus placidus nullâ exagitatus cupidine. Illæ inquam, matres, mammas proli præbeant: Naturæ tunc imperantis votum exequuntur, novo homini cui mox vitam dedêre, longum & à langoribus & morbis ferè expers ævum præſtant; imminentem verò à ſemetipſis avertunt morborum cohortem, quibus certè ſe ſubducere nequirent, niſi naturæ dictanti obedientes, hoc munere defungerentur. Lac etenim à naturâ ſeparatum, tantâ vi, tamque vivido impetu irruit ad mammas, ut niſi evacuetur ſuctione, aut aptatis avertatur & extinguatur medicamentis, ſanguini remixtum, graviora jamjam ſuſcitet & promoveat ſymptomata. Quot quidem à ſano recedentes naturæ conſilio puerperæ, matriſque munia abſolvere recuſantes, diris diuturniſque doloribus, & nullâ ferè ſuperandis arte morbis excruciatæ, culpæ pœnam luunt? Quæ verò ſe ad hoc munus accingunt, totam illius dignitatem & amplitudinem priùs perpendant. Seſe hominum ſubſtrahant amplexibus: voluptatibus deliciiſque mundi valè dicant, atque in totùm ſe tradant alumno, totâ namque ſuâ parente indiget puer. Tot ſollicitudines, tot vigiliæ, tot privationes, abundè ſanè compenſabuntur, quando creſcentem ſuo in gremio atque invaleſcentem puerum contento animo contemplabitur genitrix.

I I I.

OMNIBUS verò non licet puerperis tantum & tam arduum ſuſcipere munus; non datur omnibus, adire Corinthum. Plurimæ ſiquidem tam infirmâ valetudine, tam imbecilli corporis conſtitutione donantur, ut nonniſi inter langores, maturos partus perferre queant; nedùm ſpirantem proprio lacte

nutrire valeant infantem. Illud præcipuè in populosis reperitur civitatibus ; ubi tot agentes indefinentèr & renascentes causæ, ad vitiandam, infirmandamque hominum sanitatem simul concurrunt. Hìnc miasmatibus putridis inquinatus aër, morborum cujuscunque generis semina in sanguinem introducit : illinc humidus & non renovatus, solida relaxat, transpirationem turbat & intercipit ; indè stagnatio & depravatio humorum, innumerabiliumque malorum fons & origo. Quid prætereà, in corporis jam vitiatâ constitutione, non producere valent, vigiliæ diutiùs protractæ, varia animi pathemata, ingens libidinum cohors, errores in victu, liquorum ardentium abusus, ac tandem venus immoderata ? Ex parentibus tot causis continuo præsentibus obnoxiis, valida benèque sana potest-ne gigni progenies ? Hinc infirmi, imbecilles, ærumnis & infirmitatibus circumdati, tantam malorum catervam vix superaturi, & plerique è viventium albo jam evolaturi, infantes procreantur. Superstites verò, non nisi inter dolores & morbos attingunt tempus, quo in œconomiâ animali, magnum, præsertim in puellis, opus natura meditatur; quot enim in orcum præcipites ruunt, priùsquam ad novæ hominum progeniei reproductionem evadant idoneæ ? Nihil tamen sui juris amittere vult natura. Omnes licèt æconomiæ animalis functiones penitùs pervertantur, licèt constitutio quàm maximè imbecillis sit ; jam conceptione peractâ, in utero novi hominis germen fovet futura mater. Ad evolutionem & fœtûs incrementum, vita quasi videtur illam deserere. En lividus faciei pallor, cardialgiæ, langores, nauseæ, lipothimiæ, vomitus, virium exolutio, totius œconomiæ animalis perversio, ita ut tota in utero vita concentrari videatur. At dies optata lucet, novimestre expellitur onus, jam vitales auras carpsit infans, & novo indiget pabulo. Amore verò incensa materno, ne mammas porrigendo proli, munus matris diutiùs præstare tentet, omnium infirmitatum graviditatem concomitantium sit memor ; sibi quàm maximè suadeat prolem genuisse, majus viribus suis fuisse opus. Nimiùm felix, quod novo homini vitam impertiendo vitam ipsa non amiserit. Nutricis equidem officio defungi non valet, nisi ineluctabili, nullo cum alumni emolumento, neci se lubentèr devoveat. Sic arbor ex immaturo aut vitiato semine in aridâ pravæque indolis terrâ inserto, parvum sumit incrementum, exiliores ramos, pallescentesque frondes fundit ; tamen sese induit floribus, in fructus numquam ad maturitatem ituros jam crescentibus ; at nisi peritissimus cultor majorem florum copiam rescinderit, ingenti sub fructuum numero brevi peritura.

I V.

SI quandoque puerperis charæ soboli ubera admovere minimè conducat, ut ex
supra allatis abundè apparet ; sunt & etiam infantes nonnulli quibus alieno lacte
quàm materno ali salubrius. Lactatio enim, si fas ita loqui, nihil aliud est, quàm
continuata gestatio ; lac, veluti succi, quos fœtus in utero inclusus suscipit, secer-
nitur à sanguine, illius morbosas, noxiasque alumno communicandas retinet qua-
litates. Si, verbi gratiâ, semen masculinum, aut sanguis maternus viru scrophu-
loso, syphilitico, tabido ve inquinentur, certè labem originalem infortunatæ
proli communicabunt. Quod si tunc à matre lactetur infans, pravæ crasis in-
valescent ingenita semina, & nisi lactatio aliena vitium cum aurâ seminali
susceptum emendaverit, miseram & multis infirmitatibus obnoxiam vitam tra-
het, aut potiùs tot ærumnas, morbosque sustinere impar, præmaturâ morte luci
eripietur. Sed è gremio matris illicò removeatur tabidus infans, & alienum, sin-
cerum inquam, & nullâ labe inquinatum lac suppeditetur, vaccinum imprimis,
caprinum-ve, tunc sensim ac sensim debilitas ac vitia primæ constitutionis, emen-
data evanescunt, regeneratur sanguis ; & novâ quasi adeptâ vitâ, primæ gen-

tricis vix quid retinens, omnia gestationis incommoda mox compensaturus invalescit. Haud secùs arbor, è terrâ, in quâ primum inserta fuerit jam pravos & non sufficientes succos accipiens, brevi peritura languescit; in aliam verò pinguiorem & melioris ingenii translata terram, altas figit radices, sese corroborat, viridique sub umbrâ, Solis ab ardentibus radiis cultorem deffendit.

V.

AT, inquient, noli à naturæ normâ recedere mater: te ad prolem proprio lacte alendam constituit. A te vitam accepit, à proprio tuo sanguine prima vitæ incrementa; in lucem edita, rursùs à te incrementum accipiat. Nihil inutile, nihil inconsultè prudens agit natura; si concipere potuerit, & in lucem fœtum edere mulier; poterit & illum suo lacte nutrire. Exemplo sint animalia; quodcumque enim mammis donatum, suos alit catulos. Rectè quidem; illis assentiar; si homines vim & robur, quibus primi generis humani parentes gaudebant, servassent; at quantùm ab istâ antiquâ constitutione degenerasse videtur gens humana! Sunt-ne tales nostri ævi mulieres, quales à naturâ primò constitutæ? Plurimæ contrà, morbosas inter affectiones continuò vitam ducunt; aut potiùs tota illorum vita nihil aliud est quàm perpetua ægritudo. Istæ tamen concipiunt; gestatio, quæ aliis functio naturalis est & ad sanitatem confert, illis per novem menses, si maturum partum obtineant, vix interrupta fit dolorum series. Partu absoluto, lac non assurgit ad mammas, vel minimâ copiâ, ita ut nisi aliena accerseretur nutrix, aut ni præsto foret lactatio animalis, protinùs infans periret. Quot hujusce rei dantur exempla? fieri quoque potest, ut, licèt infirmiori valetudine donata sit puerpera, in illius mammis sufficiens lactis copia, ad prolem alendam secernatur: at vix incœptâ lactatione, dum crescit & invalescit puer, matris vires debilitantur, pejor ac pejor evadit valetudo, & nisi à sinu removeatur alumnus, maximum matri vitæ periculum imminet.

Nostræ verò sententiæ minimè adversatur, exemplum animalium allatum. Causis non iisdem obnoxia sunt animalia, quibus homines; non tantùm à statu naturali recedunt. Attamen sunt & animalia quibus lac non suppeditant mammæ, ita ut suos catulos lactare nequeant. Fortè objiciet aliquis: nullum datur certè alimentum, infantis constitutioni & humoribus accommodatum & analogum magis, quàm lac maternum. Hoc quidem verùm; nisi sanguis maternus, aliquo ut jàm diximus, inquinaretur vitio. Præterea, quàm multæ mulieres, tantâ nervorum mobilitate & sensibilitate donantur, ut à minimâ causâ, levissimo scilicèt iræ motu, inani terrore, parvo suscepto frigore, omnis pervertatur œconomia animalis. Tunc alimentorum perturbatur digestio, secretiones confunduntur, malè conficitur chylus, lac pravæ indolis secernitur. Hinc febris, hinc alumno tormina, alvi profluvium, diræ convulsiones. Quot etenim infantes, licèt à matre lactati, languent & in dies fiunt debiliores; alienæ verò nutrici committantur, brevi tempore corroborantur & invalescunt?

Ergo lactatio materna, quandoquè impossibilis, aut noxia.

Proponebat Parisiis JACOBUS-AMBROSIUS LAUBRY, Rhemus, Doctor Medicus Rhemensis, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor.

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, viâ dictâ *du Fouarre*, 1787.